

Jacob Fabricius


**Jacobus Fabricius Decanus, Caeteriq[ue] Collegii Medici Doctores Ac
Professores, ad M. Gulielmi Laurebergii Rostochiensis, & Christophori
Knövenagels Rostochiensis, disputationes inaugurales, 9. Septembris ...
habendas, omnes & singulos Academiae Rostochiensis cives, officiose &
peramanter vocant, rogant & invitant**

Rostochi[i]: Richelianus, 1628

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742564711>

Druck Freier  Zugang






F. J. 105
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835¹⁻²⁶

1008





17.

I A C O B U S
F A B R I C I U S
DECANUS, CÆTERIQ; COLLEGII
MEDICI DOCTORES AC
PROFESSORES.

ad

M. GULIELMI LAUREMBERGII
Rostochiensis,

et

CHRISTOPHORI KNÖVENAGELS
Rostochiensis,

disputationes inaugurales,

9. Septembris, horis ante et post meridiem, in
Acroasi majore habendas,

omnes & singulos Academiae

Rostochiensis cives, officiosè &

peramanter vocant, rogant &
invitant.



RostochI

Typis Richelianis, Anno M. DC. XXVIII.





Obilissimum Artis Medi-
cæ elogium ab Ecclesiastico de-
scriptum legimus: Ab altissimo
manat Medicina: altissimus de
terrâ medicamenta creavit, nec
abhorrebit ea vir sapiens: Ipse
sanat per hæc, tollitq; dolorem
hominis. Ex quibus non tantum
necessitatem, sed & antiquitatem
illius appositissimè colligimus.

Hoc quidem, quod unâ cum nascentis mundi origine sua
duxerit initia, paremq; cum eo, cui connata fuit, gratiam
& gloriam sortita sit. Quid enim aliud mundus est, quàm
silva remediorum? & quocunq; nos vertimus, nihil oc-
currit, quod homo ad usum vitæ suæ referre non possit.
Artis necessitatem nostra imbecilla & admodum fragilis
evincit natura, propter quam alterationi & mutabilitati
frequenter obnoxij, innumeras, easq; differentes sustine-
mus ægrotudines, ac eundem optimæ constitutionis teno-
rem perpetuò servare intercludimur. Vix etenim natis, &
à genetrice adhuc rubentibus, succedunt aphthæ, vomit-
us, vigiliæ, tussis, pavores, umbilici inflammationes, au-
rium putredines: dentire incipientibus, gingivarum e-
veniunt prurigines, febres, convulsiones, alui profluvia;
progredientibus & aliquantulum corpore auctis exoriantur
constillæ, asthmata, calculi, strumæ, tubercula multa,
variolæ & Morbilli: grandioribus verò sanguinis eruptio-
nes, satyriases, lumbrici, febres: adolescentibus tabes, co-
mitiales, acutæ febres: viris jam factis, laterales morbi,
peripneumoniæ, lethargi, infantæ, ardores, cholera, diffi-
cultates.

cultrates intestinorū & laxitates: Senibus atq; ad mortem
properantibus, fiunt destillationes, stranguria, articulorū
dolores, renum & viscerum obstructions, vertigines, apo-
plexia, cachexia, cacochymia, sensuum ac virium o-
mnium repentini & paulatini casus, veluti rem hanc Hip-
pocrates aphorismorum sectione tertiâ locupletissimè de-
pingit. Ab his verò & tam ingentibus malis, & non ra-
rò morte ipsâ, Deo benedicente, auxilio Artis liberantur,
& resurta sanitatis, integrâq; valetudinis optatum senti-
mus fructum, ut proinde eam humano generi adprimè
necessariam perquam fiat evidentissimum. Atq; hinc
prisci homines illius primordium atq; inventionem, non
ut aliarum disciplinarum, alicui mortalium, sed Deo opt.
maximo, ejusq; fidelissimæ ministræ Naturæ adsignarunt
& dicarunt: estq; verisimile, neq; dubitandum, quin, uti
Natura belluas suos curare docuit morbos, non aliter eâ-
dem magistrâ, & suadente, ac cooperante ratione, primi
parentes, quoties morbis vexabantur, toties ex instructis-
simo totius orbis penu depromserint remedia. Quo-
modo enim Natura, quæ *Φιλία Θεωπ* perhibetur, bestiis
patefecisse remedia, eadēq; homines celasse citra calūni-
am dicetur? Quibus porrò præventibus autoribus & veluti
Ducibus quibusdam tanta remediorum copia artificiosè
disposita, exculca, & propagata sit, non est facile divinare.
Credibile tamen, scribente post Josephum Marsilio Ficino,
primū fuisse Sethum, Adami filium, à quo quasi per manus
ad posteros feliciter transmissa fuit, ut ita primam sedem
natalem, primam Medicina patriam, in Chaldaâ, Armeniâ
& Mesopotamiâ habuerit, unde in vicinam Palestinam &
Ægyptum invecita: Et hæc usq; adeò illius desiderio & a-
more flagravit, ut pueri à patribus, progeniē secuti, eam
avidissimè addiscerent, omni aliarum rerum curâ postha-

bitâ. Erat enim Ægyptus ob cœli amœnitatem & soli fertilitatem omnis generis plantis plenissima, quæ illius incolas, operum Naturæ diligentissimos scrutatores, ad sui studium invocabant, quorsum Homerus respicere voluit latine redditus,

*Fertilis Ægyptus rerum medicamina mista,
Optima multa, simul deterrima plurima profert.*

Ab Ægyptijs seu Barbaris (quo nomine distingui voluit inter se & cæteras nationes summius amans Græcia) contra quàm Diogeni Laërtio visum est, Artem medendi divinandiq; didicit Orus seu Apollo, multumq; emolumentum hominibus tam oraculis, quàm medicis attulit: quæ ob id Athenienses ἀλεξίκακον, quasi malorum depulsores vocabant, & Vestales virgines Romæ in Sacris Apollinem salutabant, Apollo Medice, Apollo Pæan, eum ἔλιον, salubritatis autorem, à sedandis morbis nominantes: undè & Ovidius). Metam. sub ejus personâ gloriatur:

*Inventum Medicina meū est, opifexq; per orbem
dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.*

Medicinam porrò id temporis rudem & impolitam, Æsculapius, ab Apolline patre, & Chirone Centauro Thessallo, Saturni & Phylliæ filio (cui ob admirandum in dignoscendis plantis peritiam, medicinæ inventionem tribuit Plinius) fideliter institutus, ante & sub Trojanum bellum (quod septem annis antecessit tempus, quo Samson, judicavit Judæos) paullo altius & subtilius excoluit, ideo in Deorum numerum relatus. Neque enim tantum à sævissimis insulcibus morborum ægros liberavit, sed & mortuos in vitam revocasse creditus est, cujus periculum in Hippolito & Androgæo, Minois filio, ab Atheniensibus interempto, factum fuisse à quamplurimis Græcarum historia-

istoriarum scriptoribus commemoratur; quod & Q. Sere-
nus ostendere suo carmine conatus est:

Tuque potens Artis, reduces qui tradere vitas

Nosti, atq; in cælum manes revocare sepultos,

Qui colis Aegæi, qui Pergama, quiq; Epidaurū.

Hujus liberi, Podalirius atq; Machaon, Agamemno-
nem in Trojano bello secuti, suis commilitibus felicissimè
medendo plurimum profuerunt, præsertim vulnerum
curæ præfecti. Atqui penes horum familiam perdis-
mansit, florentibus imprimis tribus illis celeberrimis Gym-
nasijs, quæ nepotes Æsculapij aperuerant, Rhodio, Gui-
dio, Coö. Tandem degenerantibus posteris Medicina
sub umbris & densissimâ ignorantie caligine, usq; ad Da-
rium Longimanum, Hesteris filium, quæ nupserat & halve-
ro, quem Græci Xerxem, Chaldaei Artaxerxem appel-
lant, & in tempus belli Peloponesiaci, antistite & magi-
stro destituta suo, delituit, donec Hippocrates, qui quò
propius suâ cognatione duo Græciæ maxuma Numida,
maxumèq; culta Herculem & Æsculapium, (etenim ab
hoc xx. ab illo xix. numerator) attigit, eò divinitatis plus
ab utroq; traxit, illam *ἐκ μικρῶν καὶ ἰδιωτικῶν εἰς μεγάλα καὶ
ἀρχικὰ* eveheret, omni deniq; ornatu insignem redderet,
monumentisq; scriptorum suorum revivificaret, non aliter,
atq; Deloni

*Cynthius arcitenens, oras Ἐὖ littora circum
errantem, Mycone, celsâ Gyaroq; revinxit,*

Ut proinde cum Sorano rectissimè pronunciare possi-
mus, Medicinam invenit Apollo, amplificavit Æsculapius,
perfecte Hippocrates. Hunc ob tavissimam pestem ex
Græciâ profligatam, Athenienses ex Senatu consulto, &
Jure civitatis, & coronâ aureâ mille pondo publicè dona-


erunt, summisq; honoribus unanimiter adfecerunt, neq;
tantum vivum honorarunt, sed & vitâ functo honorificen-
tissimum tumulum posuerunt, à Thoma Moro sequenti-
bus animi gratiâ latinè expressum:


*Thessalus Hippocrates, Cuius genere, hâc jacet urnâ,
Phœbi immortalis semine progenitus,
Crebra trophæa tulit, morborum armis, Medicinæ
Laus cui magna, nec id sorte, sed arte fuit.*


Hujus brevissimis quidem, sed argutis præceptionibus
& prægnantibus sententijs, usq; adeo delectatus fuit Cel-
sus, Galeno aliquot annorum centurijs antiquior, ut eas
optimè in Latinam linguam translulerit, propterea Ro-
mani Hippocratis nomine nobilitatus. Cæterum Hippo-
crati defuncto paternarum virtutum heredes filij successerunt,
Thessalus & Dracon, generq; Polybus, qui parentis
viam & veritatis curriculum gnaviter presserunt, donec ho-
rum posterij, vel incitiâ, vel potius ambitione & pravitate
naturæ corrupti, à Majorum solertiâ secederent, & placita
illorum immutarent; quo factum ut divina Medendi sci-
entia multis distracta modis, & varijs scholarum atq; opi-
nionum divorcijs & fluctibus, ultra quadringentos annos,
miserè quassata & dilacerata jacuerit: Et ne de alijs di-
cam, sub Neronis principatu, Thessalus novus surrexit,
qui artem sex mensibus se traditurum professus, inome-
ros discipulos brevi comparavit. Adversus quem fortiter
sefe gessit Galenus, sub Marco Antonino, Comodo, & Per-
tineæ Imperatoribus Romæ admodum clarus, Hippocra-
ticamq; Medicinam à dubijs sententijs atq; deliramentis,
velut ab Augiæ stabulo, perpurgatâ rediote gravit, ac præ-
claris in eam rem editis monumentis mirificè exornavit;
quamobrem & cum viveret, regnare in Medicinâ dictus
est.


est. & à morte etiam in hodiernum diem sic apud omnes
gentes nomen ejus viget & celebratur, ut id nulla unquam
obscurarit oblivio: cujus vestigijs deinceps reliqui Græci,
Paulus, Aetius, Oribasius, Trallianus, Actuarius, alijq; insti-
terunt omnes. Hinc velut ex fonte traxerunt sua dogmata A-
rabes, quos inter Avicenna princeps jure statuendus est, qui
non solum suâ linguâ Græcos interpretati sunt singulos
& universos, verum etiam ingenti supellectile exoticorum
medicaminum, partim ex felici Arabiâ, partim ex Indiâ lo-
cupletarunt, suisq; lucubrationibus inventa Antecessorum
plurimum adauxerunt. Ex Mauritanîâ disciplinarum,
quasi Colonia quædam in Hispaniam deducta est, excita-
tis in Bethicâ, quæ nunc Granata est, scholis provincialibus
Cordubæ & Hispalî, ex quibus tamquâ ex equo Trojano
profluerunt non pauci veteres Græciæ Medici, non suo sed
peregrino idiomate loquentes. Horum vestigijs tandem
insistens Neapolitanorum Rex Alphonsus, quæ Arabicè
scripta fuerunt, in latinum converti curavit, atq; utinam
elegantius! sed præstitit ille, quantum illa paterentur tum
tempora. Ex Hispaniâ deinceps, sive bello armisq; pro-
figata, sive strepitu eorum perterrita, Medicina & reli-
quarum simul literarum studia sese effuderunt in Italiam,
ubi imprimis à Medicæ familiâ honorificè & accepta &
habita sunt, ac quæ magnâ partem desolata, iterum velut
è tenebris emicare inceperunt, & paullatim pristinum ni-
torem in Græcâ pariterq; Latinâ linguâ recuperarunt.
Tam præclarum verò depositum tandem & in nostras pe-
netravit terras, & unâ cum renascente Evangelij doctri-
nâ, radium lucis suæ longè lateq; evibravit, eamq; adhuc
Dei beneficio etiamnum aspiciamus clarissimam, ut & cum
Exteris non pauci Germanorum, super præstatiâ ingenio-
rû & nobilitatæ eruditionis famâ masculè certare possint,
adeo


adeo quidem ut nullis unquã seculis intermoriturus illorũ
amor, & circa inventionem Chymicorum Medicaminum
quorum accessione ipsa certè Medicina non parũ illustra-
ta est, indefessum studium, ab ipsis Gallis & Italis prolixè
commendetur. Est enim Chymia non peculiaris Medicinæ
secta, sed subtilior pharmacopœia, quæ res ipsas contem-
plata, harum vires non in externis tegumentis & cortici-
bus, sed in insitis inq; proprijs ipsarum essentijs quæren-
das docet: undè in illâ excellere, apud Magnates est inter
præstantes Medicos eminere. In hac Artis cum Naturã
ludentis, vel potius Naturæ artificiosè ambulantis mira-
cula conspiciuntur, quum varios ex aridissimis quandoq;
corporibus destillantibus humoris halituumq; colores, ma-
gnã cum fecunditate intuemur. Caterum strenuos illos
Artis nostræ duces & primipilos, veteres & modernos,
hactenus etiam diligentissimè secuti sunt, quos ad 9. Sept.
in aciem Academicam producemus, duo Medicinæ Can-
didati, tantosq; fecerunt progressus, ut honestã quadam
quodam suæ eruditionis ac virtutis testimonium à Faculta-
te medicã sibi decerni, non tantum optarint, sed & impe-
trarint, Examine itaq; cum ijs privatim instituto & decen-
ter peracto, quò laudabilem illorum peritiam Academia
etiam noscat & sciat, pro antiquã & receptã consuetudine
eos omnibus & singulis probandos & examinandos, die
præstituto, committimus, eã quã par est, & decet, observã-
tiã & diligentiã rogantes, ut quotquot sunt, qui literarum &
inprimis Medicinæ amore flagrant, in Auditorio majore,
hæc ante & post meridiem comparere, illorum disputa-
tionibus frequentes interesse, eosq; audire dignentur.
Quod nos gratã mente agnoscemus, & vicissim de omnibus
ac singulis omni curã benè mereri studebimus. P. P. Ro-
stockij sub sigillo officij nostri, sub initium Septemb.
anni Juliani XXVIII.












est. & à morte etiam in hodiernum diem sic apud
gentes nomen eius viget & celebratur: ut id nulla
obscurarit oblivio: cuius vestigijs deinceps reliqui
Paulus, Aetius, Oribasius, Trallianus, Actuarius, alii
terunt omnes. Hinc velut ex fonte traxerunt sua dog
rabes, quos inter Avicenna princeps jure statuendus
non solum suã linguã Græcos interpretati sunt sicut
& universos, verum etiam ingenti supellectile exor
medicaminum, partim ex felici Arabiã, partim ex In
cupletarunt, suisq; lucubrationibus inventa Antece
plurimum adauxerunt. Ex Mauritiã disciplinã
quasi Colonia quædam in Hispaniam deducta est,
tis in Bethicã, quæ nunc Granata est, scholis provin
Cordubæ & Hispali, ex quibus tamquã ex equo Tro
profilierunt non pauci veteres Græciæ Medici, non
peregrino idiomate loquentes. Horum vestigijs
insistens Neapolitanorum Rex Alphonsus, quæ
scripta fuerunt, in latinum converti curavit, atq;
elegantius! sed præstitit ille, quantum illa patere
tempora. Ex Hispaniã deinceps, sive bello armis
figata, sive strepitu eorum perterrita, Medicina
quarum simul literarum studia sese effuderunt in
ubi imprimis à Mediceã familiã honorificè & acc
habita sunt, ac quæ magnã partem desolata, iterum
è tenebris emicare inceperunt, & paulatim pristina
torem in Græcã pariterq; Latinã linguã recuper
Tam præclarum verò depositum tandem & in nos
netravicterras, & unã cum resuscitante Evangelij
nã, radium lucis suæ longè lateq; evibravit, eam
Dei beneficio etiamnum aspicimus clarissimam, ut
Exteris non pauci Germanorum, super præstatiã in
rũ & nobilitatæ eruditionis famã maculè certare



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 037